

*Pf. XXXVIII, 2.* Et Paulus, *cujus carni infixum stimulum*, nihil aliud nisi prægustum hujus damnationis æteræ fuisse, rectissime censetur. *II. Cor. XII, 7.* Imo vero etiam huc suo modo referimus Christum patientem, sanctum quidem ipsum, ἀνακτον ἢ ἀπυλατον, susceptis tamen alienis ac totius humani generis peccatis, in ara crucis, alta flebilique voce exclamantem illud *Pfal. XXII, 1.* אֱלֹהֵי אֱלֹהֵי לָמָּה עֲזַבְתָּנִי DEUS mi, DEUS mi, ut quid me deseruisti: utpote quæ desertio nihil aliud erat, quam una cum externa carentia liberationis, interioris consolationis defectus, de quo potissimum conqueritur Christus, quod videlicet omni interiori a benignissimo Patre suo solatio destitutus, peccatorum totius mundi gravitatem sustinere debeat, quibus Deus Pater, iudex justissimus, offensus, non potuerat non irasci. *Atque hi sunt*, (inquit B. noster D. Job. Gerbardus in Harm. sua Evangelistarum c. XVI. p. m. 78r.) *dolores vere infernales, sentire scilicet se expositum esse omnis generis gravissimis calamitatibus, & nullam sentire in anima vivificam consolationem, & hoc vocat Christus derelinqui a Deo. Deus est summum gaudium, summum bonum, summa letitia, adeoque ipsum cælum, & derelinqui a Deo est derelinqui in summa tristitia, mærore, afflictione, inferno & omni malo.* Unde quamvis Jesuitis quibusdam, & nominatim Bellarmino L. IV. de Anima Christi c. VIII. absurdum videatur, dolores infernales Christo adscribere; Nostrates tamen ex historia passionis, conjunctis aliis Scripturæ dictis edocti, firmiter defendunt: & ex ipsis Pontificiis aliqui agnoscunt: nominatim Job. Ferus, qui lib. IV. Comm. in Matth. ad Cap. XXVII. p. 517. scribit: *Christus, ut peccatores liberaret, constituit seipsum in locum omnium peccatorum: non quidem furans, adulterans, occidens, &c. sed stipendium peccatorum, (quæ sunt frigus, calor, esuries, sitis, timor, tremor, horror mortis, horror inferni, desperatio, mors, infernus ipse) in se transferens, ut famem fame, timorem timore, horrorem horrore, desperationem desperatione, mortem morte, infernum inferno vinceret.* Et Nicolaus Cusanus Lib. X. exercitat. *Passio Christi*, scribit, *qua major nulla esse potest, fuit ut damnatorum, qui magis damnari nequeunt, scil.*